
CONTEMPLATIO
ORATIO
STVDIVM
VITA
D. THOMAE
AQVINATIS
OTHONIS VÆNI
ingenio et manu
delineata.
ANTVERPIÆ
Sumptibus Othonis VænI.
M. DC. X.

REVER^MO PATRI

PATRI

INACHO DE BRIZVELA

S. T. PROFESSORI

SEREN^MO

ALBERTO ARCHIDVCI

A CONFESSIONIBVS

ET EIDEM A CONSILIO STATVS

OTHO VAENIVS cliens

L. M. D. D.

Pro D. THOMA Aquinate.

MAgne THOMA, *exili tentantem carmine laudes*
Maxima quas tellus, nec capit vnda tuas:
Imbue fœcundo me deſuper ætheris hauſtu,
Inq; meo regnet ſpiritus ore tuus.
Ore tuo audendum, ſine te, vox deficit infans,
Siue tuos ortus dicere, ſiue genus
Gentis ab illuſtri deductum ſtemmate AQVINÆ
Coner, vbique expers littoris vnda patet.
Stemmata neu tangam, quis diæ mentis acumen
Altius humana mente referre queat?
Ecquis inexhauſtum doctrinæ pondus & artes?
Ipſe quibus ceſſit Lynceus ille ſophus
Maximus Albertus, doctor tuus, omnibus vnus
Altior, at ſolo te tamen ille minor.
Hoc mores meruere pij, calidaq; profuſæ
Sole oriente preces, Sole cadente preces.
Audiit, & caſto nuruum caſtiſſima, cæli
Fauit Hera, & ſtudiis adfuit æqua tuis,
Largiter inſpirans diuinæ particulam auræ,
Vocis & afflatu te propiore rigans.
Inde per attonitas noua tot miracula terras,
Multa tuam vitam, multa ſecuta necem.
Omnia quæ proauis liquide ſpectata, per orbem
Vera fides ſparſit, ſeraq; ſparget anus.
Priſcaq; tot veterum dum ſcripta, vel æra legentur,
Te quoque cuncta legent ſæcula, cuncta colent.

Max. Vrientius.

D. THOMÆ AQVINATI,
pro Vita eiuſdem formis excuſa.

FAx orbis, *fideiq; ſacræ lux inclyta, cuius*
Nomen Aquinatum poterat clareſcere ceris,
Ni propriis mens fœta bonis, exoſaq; patrum
Stemmata, degeneris ſolatia languida turbæ,
Calcaſſet regalem apicem: ni pectoris artes,
Ingentiſq; animi virtus contermina cælo,
Doctrinaq; iubar Phœbeæ lampados inſtar
Fuſcaſſet titulos, velut aſtra extincta, minores:
Ecce tibi vultus, quos orbi Parca ſuperbo
Inuidit, ſtudioſa manus reparare laborat

Ingenio

Ingenio cæli ; ſpirantesq́; arte figuras
Puluerea è maſſa, buſtiq́; leuare fauillis.
Sed quanta eſt pars iſta tui, quam viuidæ adumbrat
Aemula charta animæ, mendaciaq́; æra loquuntur?
O liceat ſophiæ pelagus, quod pectore vaſto
Aeſtuat, ingenij bolide explorare! Mineruæ
O liceat penetrale adytis luſtrare recluſis!
Prô quantus Phœbi ſplendor ſtupefacta feriret
Lumina, cùm exiles radij chartiſq́; reflexi,
Quos felix tenui rima tranſmiſit arundo,
Viuaces aquilarum oculos caligine velent?
Nec ſtupeo, vlteriora animo dum perlego. tanta
Præcipitat laudum ſeries: ſtupor ipſe ſtuporem
Exuit, exarmatq́; hærentia corda rigore.
Quis tituli numeros numeris, quis Neſtore dignas
Vocibus æquarit voces? Tibi Stoica plaudit
Porticus, & cedit tremulas Academia ſedes
Diuinum venerata decus. Nec enim amplius vlli
Palladij latices vndantia corda rigarunt.
Iam verò ſuperos quantùm tranſcenderis axes
Aethereum permenſus iter, quæ verba reſignent?
Eloquium tanta laudum ſub mole fatiſcit,
Præcipiteſq́; adeò laſſant procliuia currus.
Hoc quanto licet ore canant, queis pectus Athenes
Acrius à lima, veſtroq́; à pollice vultus
Auctior inſurgit: mihi ſuſpexiſſe licebit
Naturæ indulgentis opus, ſummumq́; prementis
Conamen: quæ non diuinæ particulam auræ,
Sed plenos largita hauſtus, mentemq́; polorum
(Quantum homini penetrare datum) Triadoſq́; potentem
Auguſtæ. cuius nunc te, ſanctiſſime diuûm,
Detinet aſpectus: cuius ſplendoribus ornant
Te rutili ornanturq́; lares. O ſi ora tueri
Concedas! ô ſi te nobis tecta Tonantis
Spectandum exhibeant; qualis quantuſq́; videri
Aſtricoma ſuper arce ſoles! quæ ſurgeret oris
Maieſtas cælo artificis! quàm congrua cælo!
Quòd ſi dextrà impar tantoq́; infracta labore
Succeſſu in medio ſudata relinqueret æra;
Forſitan & formam loquerentur fragmina: quodq́;
Artificis premeret ſculptura incondita, fruſta
More Timanteo poſſent intacta profari.
Intereà rebus orbati, paſcimur vmbris,
Et te (ſiqua tamen victuræ poſthuma famæ
Cura angit Superos) memori tranſmittimus æuo.

I. D. T.

De D. THOMAE AQVINATIS multiplici doctrina.

QVis Sophiam totam rectè ſcit tradere? THOMAS:
THOMAS *nam reliquos eminet ante Sophos.*
Quis Logices reddet faſtigia peruia? THOMAS:
THOMAS *nam Logices omne recludit iter.*
Quis facilè exponet mihi Naturalia? THOMAS:
THOMAS *Naturæ grande reuelat opus.*
Quis præcepta palàm faciet Moralia? THOMAS:
THOMAS, *quid Virtus, quid Vitiumq́, docet.*
Quis diuina mihi pandit Myſteria? THOMAS:
THOMAS *veram aperit cum ratione Fidem.*
Quis vitam ad ſuperam monſtrabit pergere? THOMAS:
THOMAS *exemplo ducit ad aſtra ſuo.*

ANDREAS FRVSIVS Societ. IESV.

Hos verſus in laudem Doctoris Angelici concinnatos vidi, & approbaui,

Laurentius Beyerlinck, S. T. L.
Canonicus & Cenſor Antuerpienſis.

Cum Priuilegiis, Pontificio, Cæſareo, Regum Hiſpaniæ ac Galliæ, & Principum Belgij.

EFFIGIES D. THOMÆ AQVINATIS:

Quem Eccleſia Doctorem, ſcholæ magiſtrum, hæretici flagellum habuere: quemq; Pius Papa V. quintum Eccleſiæ Doctorem nominare ſolebat. Hunc Italia naſcentem vidit, ſanguinis nobilitas celebrauit. Auus eius fuit Comes Sommacolenſis, qui Frederici II. Imp. ſorore ducta Landulphum progenuit, cui Theodora Comitis Theanenſis filia ſanctum Thomam peperit.

2. C. Boël

Antequam naſceretur D. Thomas, Anachoreta quidam ſanctitate eximius, læto matrem prægnantem nuntio cumulauit; maſculam ſcilicet prolem futuram, ac totam familiam eius ſplendore illuſtrandam: monſtrataque imagine Deiparæ ad cuius pedes D. Dominicus flectebat, digito in beatum virum intento, ſimilem filij habitum futurum pronuntiauit.

Eodem quo natus eſt die, natus eſt et S. Ambroſius Senenſis, et S. Iacobus de Meuania, ambo Ordinis D. Dominici; viſæque pleno die in ciuitate Meuaniensi tres mediæ Lunæ in quarum ſingulis religioſus eius Ordinis apparuit: quibus viſis pueri per compita curſitabant clamantes, Ad ſcholas, Ad ſcholas: *innuentes ſcilicet iam tres eximios in mundum Doctores aduenisſe.*

Cùm eum aliquando nutrix in balneo abluere vellet, infans chartulam è terris ſublatam (in qua Salutatio Angelica deſcripta erat) quanta vi potuit pugno clauso retinuit; quam cùm violenter nutrix abſtu= liſset, fletu et clamore eam infans repetijt, quam acceptam ori ingerens deglutijt: vt iam à teneris annis coluiſse Deiparam visus ſit.

Aquino flammis deleto, Caſſinum in monaſterium Ordinis D. Benedicti à patre relegatur: vbi iam tum à prima ætate radius quidam futuræ ſanctitatis emicuit. Mittitur inde Neapolim ſtudijs operam daturus, in quorum medio curſu, anno ſcilicet ætatis quarto decimo, poſt longam repulſam, habitum D. Dominici, inſcijs parentibus, vt prædictum fuerat, ſuſcipit:

Mater hoc nuntio perculſa, Neapolim ſtatim properat. Thomas verò, audito matris aduentu, à fratribus Romam, ne matri occurreret, deductus eſt. Latuit id matrem, quæ cognito filium Romam petijsſe, eôdem reuerſa eſt. Pius autem iuuenis, omnes occaſiones quibus à propoſito dimoueri poſset, euitans, ſecuritatis gratia Pariſios mitti poſtulat.

Mater rata in ſui contumeliam id filium comminiſci, fratres eius, Landulphum et Arnoldum, militiâ claros, mutato animo, litteris incitat, vt Thomam ex Italia in Gallias tranſeuntem ex inſidijs interciperent. Illi lectis litteris, grauiter commoti rem proſpero ſucceſſu conficiunt, et Thomam repertum in prato, iuxta fontem, vnà cum ſocijs, contumelioſè habitum, ad matrem remittunt.

Aggreditur eum blandimentis mater, et omni conatu vt ſacrum deponat habitum allaborat: ſed vbi illum altiore fundamento nixum videt, quàm vt blanditijs flectatur, cuſtodiendum illum in caſtro quodam tradit. Accedunt et ſorores, vt eum à propoſito dimoueant; ſed illo cum ijs ſermonem miſcente, ita repente mutatæ ſunt, vt earum maior, poſthabito mundo, ſacris ſe virginibus aggregaret.

Fratres tam pio ſororis propoſito magis adhuc in Thomam exacerbati ſunt, eque caſtris reuerſi eò furoris peruenerunt, vt poſt multas iniurias cum inſigni contumelia, Thomæ illatas, ſacrum habitum diſcerperent; quod pius iuuenis non modò patienter, ſed magno animi gaudio pertulit, ad maiora adhuc ſubeunda ſeſe præparans.

Porro mater ita aduersus iuuenem commota eſt, vt fratribus ſuaſerit, eum carceri arctæque cuſtodiæ mancipare. Itaque in arcem Rupem ſiccam nuncupatam detruſus, multo milite cuſtoditus eſt; ne qua effugij via pateret; at animoſus tiro his omnibus infractus perſiſtens, egregium fortitudinis animique roboris documentum dedit.

Erat ei ergaſtulum hoc velut paradiſus voluptatis, et ſolitudo illa inſtar deliciarium: in qua aſſiduis Deum precibus obſecrabat, vt ſibi in ſancto propoſito conſtantiã infunderet. Interea fratres extrema conantes, impudicum ſcortum, quod pudicum adoleſcentem ad facinus ſolicitaret, ad eum mittunt: non tulit caſtus adoleſcentis animus impudicæ mulieris illecebras, ſed arrepto è foco titione procacem à ſe feminam abegit.

Oſtio clauſo, titione quo impudicam feminam fugauerat, crucis figuram in pariete depingit, proſtratuſque in terram Dominum pro perpetuæ continentiæ dono deprecatur. Et ecce leni corripitur ſomno, duoque eximio ſplendore fulgentes Angeli adeſſe viſi ſunt, qui cingulo renes eius ſtringentes, omnem libidinis motum abſtulerunt: tanto id quidem cum dolore, vt clamore ſuo cuſtodes corporis excitaret.

Cùm iam biennio carceris moleſtias toleraſſet, mater eius diuinum iudi=
cium extimeſcens, Dominicanis fratribus, licet adhuc iratam ſeſe ſimularet,
poteſtatem fecit eum quò vellent educendi: qui auxilio quoque ſororum eius,
eum ſubductis cuſtodibus è caſtro, per feneſtram in ſporta demittunt,
ac mox Neapolim, vbi vota monaſtica emiſit, et inde Romam reducunt.

14. G. Swanenburg

Albertum Magnum in Theologicis aſsiduè cum perpetuo ſilentio audit: vnde factum eſt, vt ei vitio id verteretur, adeò vt à condiſcipulis Bos mutus diceretur. Verùm cùm quodam tempore, Doctoris ſui auctoritate, quæſtionem aliquam, Præſide Alberto, defenderet, tanta id ingenij dexteritate fecit, vt eum Præses non tam reſpondentis, quàm Doctoris eximij officio functum dicens, ſubiungeret: Vos hunc bouem mutum vocatis, ſed tales ille olim mugitus edet, vt mundus eum totus ſit auditurus: *vt reipsa deinde contigit.*

Poſtquam Coloniæ ſub Alberto Magno in ſacris ſtudijs non mediocriter profeciſſet, Lutetiam venit anno Domini MCCXLVI. *vbi Doctoris nomine et munere, anno ætatis tricesimo insignitus eſt: in quo ita toto vitæ ſuæ tempore versatus eſt, vt toto terrarum orbi egregia eruditionis monumenta reliquerit.*

Sæuire interim cœpit Lutetiæ grauis illa tempeſtas aduerſus Religioſos Mendicantes, qui magno tum temporis honore publicè lectiones habebant, adeò vt Thomas, eiuſque collega D. Bonauentura, magna contumelia è ſcholis publicè eiecti fuerint. At Thoma tum lingua tum calamo ſeſe viriliter opponente tranquillitas affulsit; donec tandem diplomate Alexandri Pont. pro voto Religioſorum res compoſita eſt.

Cùm graui diſceptatione de Ven. Sacramento Eucharisſtiæ orta, Thomas ſententiam ſuam ſcripto conſignaſſet, eamque in altari coram Crucifixo poſuiſſet, orans vt eam Chriſtus ſigno aliquo confirmaret; ecce tibi ſubitò Thomam à terra ſublimem, Crucifixumque ad eum clara voce dicentem: Benè ſcripſiſti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies? *Cui ille,* Non aliam niſi te, Domine.

Cùm pro ſenſu loci alicuius in Iſaia triduo ieiunijs et orationibus inſtitiſſet, nocte quadam ſocius eius Reginaldus duos cum eo loquentes audiuit: quibus abeuntibus, ſocio ad ſe vocato, commentaria in eum locum expeditè admodum dictauit. Quo facto obnixè eum Reginaldus rogauit, vt qui illi fuiſſent, cum quibus tanto tempore locutus erat, aperiret: victus Thomas ait fuiſſe ſanctiſſimos Petrum et Paulum Apoſtolos, qui eum vnà cum Deipara Virgine in dubijs ſæpius edocere ſoliti erant.

Intrat cubiculum eius D. Bonauentura, qui ei ſemper in ſtudijs et pietate collega exſtitit, videt ille Thomam magna attentione abreptum, ei ſcribendo occupatum, ac Spiritum ſanctum in columbæ specie et ad aures adstantem, qui ei quæ ſcribenda erant dictaret: quo viſo, D. Bonauentura, nequod impedimentum ſcribendi daret, ſtatim ſe cubiculo proripit.

Cùm die Natiuitatis Domini ad ædes Card. Richardi diuertiſſet, eodemq; duo prædiuites Iudæi, et in lege egregiè periti conueniſſent, grauis diſputatio de aduentu Meſſiæ orta eſt; quæ cum in multam noctem traheretur, et Iudæi victos ſe faterentur, res in craſtinum defertur. Interea Thomam rem precibus Deo commendante, eôdem Iudæi reuerſi, Iudaicam perfidiam abiurant, Chriſtoque nomen dantes baptiſmate abluuntur.

21. E. van Paenderen.

Clemens Papa IV. cùm ei Archiepiſcopatum Neapolitanum traderet, vir ſanctus eum repudiat, obnixè poſtulans, ne huiuſmodi ſe dignitatibus in poſterum oneraret: diuitias enim et mundi honores, præ ea qua præditus erat animi dimiſsione, heroicè faſtidiuit; vtpote qui olim laudanti ciuitatem Pariſienſem pluris opus Imperfectum Chryſoſtomi in Matthæum, quam eam ſe facere reſponderit.

Bononiæ quadam die in conuentu contemplans inambulabat, cùm frater quidam externus ei obuiàm factus petijt, vt ſe comitem itineris, facta ſibi à Priore obuium aſſumendi poteſtate, ad negotia quædam obeunda præberet. Thomas paret, ſed dum præ pedum infirmitate præeuntem ſequi non poſſet, alter duriùs increpare cœpit, quod Thomas æquo animo tulit. Ciuibus autem quibus notus erat, ad hanc ſubmiſſionem obſtupeſcentibus ait, hac ratione monaſticam diſciplinam perfici.

Eo tempore quo Manichæorum dogmata oppugnabat, S. Ludouicus Rex Galliæ eum ad conuiuium inuitauit. Prioris quidem iuſſu eò ſe contulit, at inter epulas adeò ſtudijs intentus erat, vt manu menſam percutiens diceret, Definitum eſt contra Manichæos, *vocansque ex nomine ſocium, Surge, ait, et ſcribe. Dicente porro Priore non ſe domi ſed in menſa regia verſari, veniam à Rege petijt.*

24. G. Swanenburg.

Creberrimos mentis patiebatur exceſsus, vt ij qui his non aſſueuerant, admirarentur, timentes nequid ei humanitus accidiſset: Hinc factum eſt vt dum illi medicorum conſilio in tibia adhibendum eſset cauterium, in eiuſmodi exceſſu id factum ſit: illo quippe tibiam extendente, adeò mente in Deum eleuatus erat, vt ab omni ſenſu alienus, nullum dolorem ſentiret.

Ad Concilium Lugduni indictum ſe conferens, in itinere morbo correptus ad cœnobium Foſſæ-nouæ Ciſtertienſis Ord. diuertit; vbi cùm vltimum inſtare ſibi diem proſpiceret, fratribus illius loci Cantica Canticorum expoſuit. Verùm cùm ad ea verba, Veni dilecte mi, *&c. perueniſſet, oculis in cælum ſublatis, ſpiritum Deo reddidit. Viſus eſt eodem momento Religioſo cuidam S. Petrus Apoſt. qui Thomam è ſchola ad cælum trahere videbatur. Quin et Albertus Magnus Coloniæ exiſtens, lacrymans adſtantibus dixit, F. Thomas de Aquino Eccleſiæ lumen hodie exſpirauit.*

Incredibile dictu quantum mortuus ſui deſiderium reliquerit, deplorabant abreptum omnes eius regionis incolæ, et quotquot veræ pietatis ſtudioſi erant, qui magno numero ad exequias confluebant. Conditus eſt ante ſummum altare, ad cuius tumulum plurima miracula Deus fieri permiſit. Prior monaſterij cæcus, viſum recuperat, mortuus eò delatus ad vitam redit, et plurimi energumeni liberantur.

Ut ſacrum eius corpus terræ mandatum fuit, Abbas et Monachi eius loci, veriti ne tantus thesaurus quandoque auferretur, de nocte aliò illud tranſtulerunt. Sed cum vir ſanctus Abbati in ſomnis appareret, minaſque ni ad priſtinum locum reduceret, intentaret, rurſus tumulum aperiunt, vnde mira odoris fragrantia emanauit, corpore vestibusque integris adhuc repertis.

28. E. van Paendren .

Cùm verò viſum eſset Domino nouis et egregijs miraculis indies mirificare Sanctum ſuum, multorum Principum et totius orbis inſtan= tiâ, poſt maturum et ſincerum ab Archiepiſcopo Neapolitano Episcopoque Viterbienſi factum examen communi totius Ecclesiæ, Pontificiſque Ioannis XXII. conſensu, in Sanctorum numerum Auenione translatus eſt, anno 1323.

Dolebat vniuerſus Ordo Prædicatorum tantum theſaurum ſub alienis tutoribus contineri: vnde totius Ordinis nomine Generalis à Pontifice impetrauit, ſacrum vt corpus Tholoſam potiſſimum, idque multis de cauſis, transferretur. Occurrit ſacræ huic trãſlationi Galliæ Regis frater Dux Andegauenſis, magna hominum multitudine ſtipatus; vt ſupra CL. hominum millia eò conueniſſe dicantur.

30. E. van Paendren.

Magnus quotidie hominum numerus ad ſepulchrum eius Tholoſam confluebat, tum ſanitatis conſequendæ gratia, tum verò voti exſoluendi: vnde factum eſt vt Pontifex Clemens ex indulto ſedis Apoſtolicæ, indulgentias largitus ſit ijs qui in anniuerſario depoſitionis eius die, confeſſione expiati, et ſacra Euchariſtia refecti templum fratrum Dominicanorum viſitauerint.

SPECIAL 86-B
26804

86

THE GETTY CENTER
LIBRARY

[THOMAS AQUINAS, Saint] VEEN, Octavio van. Vita D. Thomae Aquinatis Othonis Vaeni ingenio et manu delineata. Antwerp: for O. van Veen, 1610. Small folio, Engraved title, 2 leaves, and 30 numbered plates. Contemporary blindstamped vellum. $1,500

FIRST EDITION of this Life of Saint Thomas Aquinas in pictures. The 30 superb engravings were designed by Octavio van Veen (known as Vaenius, 1556-1629), the celebrated Flemish painter, teacher of Rubens.

The suite of 30 plates, here in brilliant impressions, are signed by the engravers C. Boel, E. van Paenderen, G. Swanenburg, and C. Galle. Each includes narrative captions, also engraved.

Funck 404.